



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1663. usque ad annum 1674

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1780**

**VD18 90119193**

§. 77. Ascanii Philomarini Cardinalis fata.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67332](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67332)

Sæc. XVII.  
A. C. 1666.

## §, LXXVII.

*Ascanii Philomarini Cardinalis fata.*

**P**ostremus denique inter Purpuratos hoc anno defunctos erat Ascanius Philomarinus patria Neapolitanus, qui in superioribus disciplinis rara indolis felicitate, & nunquam remisso plura sciendi ardore tantum profecit, ut Doctoratus laurea decoratus jamjam Romæ indefessi sui laboris præmia consequi inciperet; quippe ab Urbano VIII. Cubicularius, Lateranensis & Vaticanæ Ecclesiæ Canonicus, Nuntius Apostolicus in Hispania, Archiepiscopus Neapolitanus, ac demum Cardinalis renuntiabatur: Harum tamen dignitatum proventus non ad luxum & pompam, sed potius ad Ecclesiæ suæ ornatum, Diœcesis emolumentum, gregisque sui levamen impendit; quippe Archiepiscopale Palatium temporum injuria non minus quam incuria pene collapsam maximis impensis reparavit, Domesticum Sacellum, ipsamque Ecclesiam, Templum B. V. apud PP. Carmelitas, aliudque Sacellum apud Clericos regulares marmore, sacra suppellectile, & pictis tabulis exornavit, ditavitque: populum vero rebellem non sine propriæ vitæ periculo ad Regis

*Priorat. in  
Theatr. Vir.  
Illustr.  
Silos in Hist.  
Cler. Regul.  
Ughell. Ital.  
Sac.*

*Hist. Eccles. Tom. LXIII.*

P gis

Sæc. XVII. gis obsequium reduxit, aberrantes  
 A. C. 1666. oves verbo & exemplo ad salutis pe-  
 scua revocavit, contagione ac inopia  
 laborantes indefessa sollicitudine cor-  
 poris & animæ remediis adjuvit, om-  
 nibus omnia factus. Habebat Majes-  
 tati morumque gravitati ita conjun-  
 ctam modestiam, ut tristitiam & arro-  
 gantiam semper exueret, quin ipsius  
 comitas authoritatem, aut severitatem  
 clementiam diminueret, nunquam ex-  
 candescere visus, nisi quando vitiorum  
 inveterata pertinacia, aut violata  
 immunitatis Ecclesiasticæ injuria acer-  
 biorem censuram extorquebat. Pro-  
 tracto demum gloriosæ ætatis cur-  
 culo usque ad annos octoginta ter-  
 Neapoli die tertia Novembris hac vita  
 ad cælestem, ut pie credimus, vitam  
 emigravit.

## §. LXXVIII.

*Ludovici Maresii sermo in defensionem  
 censuræ a Facultate Parisiensi  
 contra Vernantum &  
 Guimenium pronuntiata.*

*Vid. supra* Crebræ adhucdum Parisiis ob nuptiarum  
 §. 28. p. 80. ram Facultatis Theologicæ cen-  
*Collect. nova* ram contentiones fervebant; studii  
*ant. Cler* enim in diversa trahentibus quidam  
*Gall. tom. 2.* Facultatis